



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

XXXIII. Das Captiel zu Lutter verkauft dem Domstift zu Stendal seine  
Hebungen aus Groß-Mohringen und Zornow, am 10. October 1253.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

**XXXIII.** Das Capitel zu Lutter verkauft dem Domstift zu Stendal seine Hebungen aus Groß-Möhringen und Tornow, am 10. October 1253.

L. dei gracia abbas, Totumque capitulum ecclesie luttrensis — protestamur, quod nos bona omnia, que ecclesia nostra habuit in magno Moringen, videlicet XXXVIII. solidos, et in Tornowe IX. solidos Monete Stendaliensis et omnia alia jura in predictis locis uendidimus Preposito Decano, Totique capitulo Stendaliensi pro XX. Marcis Magdeburg. argenti, hac condicione adiuncta, si deesset in summa predicta, secundum proporcionem deesset et in precio pretaxato. Acta sunt hec in ecclesia Moringen, anno domini M. CC. LIII<sup>o</sup>. proxima Sexta feria ante festum beati Galli, Presentibus Jacobo decano, Johanne de Schenekowe, Engelberto de Dernewitz sacerdotibus, Item Vlrico et Brunone villico, laicis, et aliis quam pluribus eiusdem uille ciuibus.

**XXXIV.** Bischof Volrad von Halberstadt fordert, unter Verheißung eines Ablasses, zu Beiträgen zu der begonnenen Erweiterung der Domkirche zu Stendal auf, am 24. Sptbr. 1257.

Volradus dei gratia Halberstadenſis ecclesie Episcopus, vniuersis christi fidelibus, ad quos presens littera peruenerit, salutem in domino ihesu christo. Cum — fideles christi, decorem domus domini diligentes, ecclesiam beati Nicolai piissimi confessoris in civitate Stendale ampliari coeperint opere sumptuoso et ad perfectionem ipsius proprie sibi non suppetant facultates, vniuersitatem uestram monemus, rogamus et in domino exhortamur, nichilominus uobis in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus de bonis a deo uobis collatis ad perfectionem predicti operis elemosinarum uestrarum grata subsidia conferatis, ut per hec et bona, que domino feceritis inspirante, possitis ad eterne beatitudinis gaudia feliciter auctore domino peruenire. Nos vero de omnipotentis dei misericordia nec non beatorum Petri et Pauli apostolorum eius meritis confisi, omnibus, qui ad predicti structuram monasterii suas elemosinas fuerint elargiti, quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer indulgemus, presentibus usque ad consummationem operis et non amplius ualituris. Datum in campis apud hamersleue, anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, VIII. Kalendas octobris, pontificatus nostri anno secundo.

**XXXV.** Bischof Volrad von Halberstadt giebt dem Dechanten des Domcapitels zu Stendal die Vollmacht, die Excommunicatonsentenzen wider die Beschädiger der Stiftsgüter zur Vollstreckung zu bringen, am 12. October 1258.

Wlradus, dei gratia Halberstadenſis ecclesie episcopus, omnibus hanc litteram inspecturis salutem in cristo ihesu. Cum in dedicatione ecclesie stendalgenſis excommunicationis sententiam protulerimus in omnes eiusdem ecclesie bonorum inuafores, decano, qui pro tempore fuerit in eadem ecclesia, auctoritate presentium indulgemus, ut in eos, qui bona eiusdem ecclesie inuaserint, dictam nostram sententiam exequatur, ipsos excommunicatos denunciando, canonica monitione premissa. Datum stendal, Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LVIII<sup>o</sup>, III<sup>o</sup>. Idus octobris, pontificatus nostri anno quarto.